

40c

SUPR. HONORIBUS

ILLUSTRIS ET GENEROS. HEROIS
A C D O M I N I,

DN. GEORGI à Schönaiçh

LIB. BARON. BETHAN. CARO-
LATI, AMPTIZII, MILCKAV.
ET NENCKERSDORF

&c.

SAC. CÆS. MAJEST. CONSILIARI ET
CANCELLARI PER SILES. ET
LUSAT. DIGNISS.

XXV. Febr. An. CIO IO. CXIX.
piè demortui

& die XIII. Maji Ann. CIO IO CXIX.
honorificè sepulti

ARÆ EXSEQUIALES

ab Hospitib. quibusd.
& clientibus

POSITÆ.



BETHANIÆ

TYPIS JOH. DORFERI.



UT pius Æneas forti cervice parentem
 impositum è mediis ignibus extulerat:
 nostrum ita Patronū gliscentib. undiq; bellis
 ô amor! eripuit maximus ille Pater.
 Æneas merito, meritò laudatur & Ille:
 sustulit Hic natum, sustulit ille patrem,
 Felix ille animæ, qui mundi mille periclis
 ereptus cœli gaudia certa capit.

JOHANNES POTOCZKY
 à Potok.

Quam bene discedens tristi hoc ex Orbe Pa-
 tronus
 permutat cœli terrea muneribus:
 hic labor, & luctus, tenebræ, certamina Martis:
 illic pax, lumen, gaudia læta, quies.

CHRISTOPHORUS POTOCZKY
 à Potok.

Dira & amara tua est BARO ð mors IN CLYTE Musis,
 Sed tibi jam cara est dum superata jacet.
 Cara tibi mors est: terræ cessavit amaror:
 In Domini dextrâ quippe beatus agis.
 Cara tibi mors est: Christi requiescis in ulnis:
 Non magè res poterit delitiosa dari.
 Cara tibi mors est: cœlesti plaudis in aula:
 Dulcis ubi requies, vita beata, salus.

UDALRICUS HOSTAKOWSKY
 ab Arklebicz eques Moravus.

A

Suppedi-

426436



Suppedil' àsse Rheæ parienti umbracula Quercus,
Dicitur explicitis officiosa comis,
Arboris hinc cepit tutelam Juppiter Hospes;
Et specimen legis, quam tulit ipse, dedit.
Demeruit studium Jovis abjectissima rerum:
Et levis officii profuit umbra levis.
Quid memorem de Te? bella, ô bellissima **QUERCUS:**
(Historicâ exesto nœnia manca fide)
Quæ Christi Sponsæ ramis pacalibus umbram,
Et gratum erranti sufficit hospitium.
Ille unus, verèq; juvans Pater at herè summo
Ut videt; ut Zeli simplicis orsa probat:
Nec passus Quercum tot tempestatibus ultrâ,
Atque Noti furiis imbricitoris agi;
In Paradisiacos annosam conserit hortos:
Et folia æterni Nectaris imbre rigat.
Quam non plantavit Dominus, succiditur arbor:
Et steriles plantas flamma perennis edet.

II.

Gymnastes Deus in nobis sua dona coronat:
Et dotes auctor munerat ipse suas.
Hic gentilitii ornavit gestamen honoris,
Et galeam, & clypeum Querna corona tuum,
Schönaichi cæles: felici ex arbore Vita
Nunc Tibi pracingit plexa corona capus.
Quam verè Deus in nobis sua dona coronat!
Qui, parvi, aut magni quicquid habemus, habet.

III.

Dictura Heröem mea Pieris, obmutescit.
Quæ nequière tegi; non potuère cani.

Hospes Bethaniæ Musa
Valentini Ritteri, Gorl. M. D.
Heu

Heu Schönaichiades, stella suæ candida Patriæ
Fatis occubuit! Dira malorum incubuit cohors
Desertis populis. Martia Bojos lacerat lues:
Fidosque Elysios corripit austerâ necessitas
Bellonæ sociæ. Quot maculosæ rapiunt febres,
Si qui bellivomas effugiunt Eumenidum manus?
Hoc portendere caudata solet, nuncia grandium
Irarum Nemesis, non pavidum impunè tuens Solum.
Quis tantis poterit? quando mederi poterit malis?
Frater Cæsaris, atque Uxor, & ipse occubuit modò
Cæsar. Nec Proceres destituunt in nece Cæsarem:
Illic unâ abeunt, unde negant posse revertier.
Desertam Patriam quis Superùm demiserabitur?
Ni curæ est reliquis Principibus languida Filia;
Et Schönaichiadæ, qui novus è funere pullulat
Ceu Phoenix patrio: Fata suprema omnibus imperant
Aut armis sibi tentare quietem, aut nece gloriam.
Ingentes tenebræ, fallor, an his motibus ingruunt:
Posteaquam occubuit lux vice nullâ reparabilis,
Heu, Schönaichiades stella suæ candida Patriæ.

L. M. Q. F.

JONAS MELIDEUS ILLUSTR.
Aurimontana Rector.

THRENODIA.

Quis sibi præcipiti cunctanter in ruina,
Somniet hospitii labentis inquilina,
Asyla, quis Notis
Illapsus, & rotis
Retrogradis, sinistro iter
Cursu facit feliciter?

A ;

Ambulat

Ambulat ac habitat cautè minus, caducis
Deditus obsequiis mundi, vagæque lucis,
Ni pronus ad polum,
Inane per solum,
 Contendat hospes æmuli,
 Quærens superna, seculi:
Cujus ad interitum torquentur, & ruinam,
Omnia præcipitem, clademq; morticinam,
Quæcunque fors rotat,
Et sæva mors notat,
 Rictu, minantur invicem,
 Pœnamq; nectunt vindicem;
Funere, Marte, fame, flammæ, faces, furores,
Crimina supplicii, languoribus dolores
 Ignemque stramine,
 Ventumque flamine,
 Supplendo, durioribus
 Hinc res eunt laboribus.
Imperium, mare, terra, Ecclesia ipsa, diris
Hactenus exagitata Orci furenter iris,
 Quod non, miserrimis
 Juxta & vaferrimis
 Oppressa technis hactenus
 Experta sunt damni genus?

Adspice

Adspice quàm subitò tot impetu columnæ
Corruerint patriæ, pacis Ducisque alumnae
 Fidæ Glogovici,
 Heroes optimi,
 Quos nuper in vicinia
 Fata abstulere adfinia!
Vulnere jam triplici flos languet & liquefcit
Sanguinis Austriaci passim, quis inde nescit
 Quàm flebilis metus,
 Aut cœcus impetus
 Impendeat Germaniæ
 Charissimæque patriæ!
Vulnere multiplici nostri vigor Ducatus intus
Nobilis, inclutus & flos regii senatus
 Decrescit, ut seges
 Quam devii greges
 Carptim metunt, præposteris
 Aut imprimunt vestigiis.
Consule Zedlicii proregii recentes
Sub tumulo cineres, & Stoschii adjacentes,
 His adde tertium,
 Hoc Belli-Quercium
 Illustre Musarum pathos
 Bethaniensium, ad latus

Cæsarii

Cæsarii gemitus, quo turba lachrumosæ
 Agglomerata scholæ hinc, aulæ inde sumptuosæ
 Ecclesiæ piæ
 Patrem, atque patriæ
 Adfectat, illustrissimum
 Flens & dolens Schönaiichium,
 Quem modò præcipiti nobis dies nefasta,
 Abstulit arbitrio, virtus suis ad astra
 Encomiis poli
 Læta extulit, soli
 Sic liberatum motibus
 Periculosi & fletibus.
 Sarmaticas hyemes in brachiis superbis
 Vincere dura nequit quercus, ruunt acerbis
 Sic temporalia
 Fatalis omnia
 Brumæ imbribus, mortalia
 Sunt noxiis obnoxia
 Quisquis es, orbe igitur mortalibus relicto
 Lumina fixa polo, mentemque, sine stricto
 Prudenter erige,
 Et lucis elige,
 Inter faces cœlestium,
 Veræ, in polo, consortium.

Ab Henrico Walthero P. Cæsario & Catech. Rechenberg.
 Deproperat. Schlawa Nonis Maji An. 1619.

IN TUMULUM.

O Angusta domus, tam parvo fornice crypæ
 tune VIRUM claudes, & decus omne VIRI?
 Propria cui Virtus peperit memorabile nomen,
 arctari spacio quod brevior nequit.
 Quem Probitas homini gratum, Pietasq; JEHOVÆ:
 quem Musis gratum structa Lycæa probant.
 Qui sibi non soli vitam, sed pluribus egit:
 prudens consiliis, conspicuusq; fide.
 MATTHIAS Rex testis erit, cui cognita Virtus,
 Judicijq; vigor dexterioris, erat.
 Slesia Patronum titulis solemnibus auctum
 sensit, & agnovit Lusatis ora suum.
 Insignis laudant operis fastigia summum
 artificem, eulogiis non eget Ille meis.
 Quin ubi ranarum jam dudum regna fuerunt,
 nunc magno seget & fœnore reddit ager.
 Et quæ præterea solers industria fecit,
 condere quæ tenui carmine cuncta vector.
 Hunc ergò HEROEM truculentâ morte peremptum
 Patria, Pierides, Vir, mulierq; dole.
 Vir, mulierq; dole, viduat a Bethania luge:
 Nam cecidit capitis Querna Corona tui.
 Verum, sic modus in lacrymis: non omnia condit
 Urna; sub hâc tantum pulvis & ossa cubant:
 Ast verò illius nomen laudesq; manebunt:
 dum Musa, & pura religionis honor.
 Et quod non potuit claudi, cœleste resumpsit
 depositum altitonans in sua regna Deus.

ELIAS Richter.

B

Misæ

MUS Æ PATRONUM non reparabilem,
Cohors PARENTEM subdita Civium
SCHÖNAICHUM; nigrante velo
Perpetuò redimita, luge.
Qualem PARENTEM civibus improba
Eati potestas abstulit, haut reor
Posthac videbunt; atque MUS Æ
Vix similem invenient PATRONUM.

Condol.

CASP. AULANDER.

PLangite Castaliæ moerentes corde Sorores,
Formosa Quercus concidit.
Concidit heu? latè tendens sua brachia Quercus,
Arbor DEO gratissima.
Concidit heu? tibi qua spaciofo tegmine quondam,
Phœbi cohors letissima,
Dulcia per nemora & saltus umbracula fecit;
Dum cuncta coxit Serius.
Hoc nuper viduat a bono, mœstissima turba,
Pulsare nervos desine,
Mulcentesq; animos cytharas suspende; sonare
Lugubre carmen nunc decet.
Exue purpureo saturatæ murice pallas,
Auro nitentes annulos
Detrahe, pullatæ resonent plangoribus ades,
Gemituq; clangant omnia.
Sed modus in lacrumis? patrio de semine rursus
Succis avidis ebria.
Assurgit, patulaq; emittit ad æthera frondes
Formosa Quercus. Plaudite:
Plaudite Castaliæ latantes corde Sorores,
Formosa Quercus pullulat.

Joan. Hagendornius Gorl. Lusat. Φιλία & Volvere

VOLvere qui curas flagrat sub pectore; nonne,
Magnatum, in vano lumina fixa videt?
Hic captat laudes, dubiosque exposcit honores;
Lenonis partes alter a lotus agit.
Magnanimoq; alius forti cervice caballos
Diligit; auri alius fulva metalla cupit.
Hæc quorum quæso? quæ longa oblivio delent
Nominis, & famæ ludibria alta ferunt.
Rarus at à Musis mollitum pectus honestis
Qui gerat, atque illos factis opibusque, juvet.
Non tibi Sancte Senex, Generose Patrone, Schonaichi,
Hic animus, vixit dum super orbe, fuit.
Delitiis mundi nunquam gavisus es ullis:
Solæ divinæ res placere tibi.
Testibus haud opus est. Patriæ Telluris Ocellæ,
Undique sufficiunt qui tua facta canant:
Nimirum Adoni cultores montis & Hœmi,
Splendida qui sanctæ Palladis arma gerunt.
Te coluere omnes, & tanquam Numen amarunt:
Suscepere omnes Te, Geniumque tuum.
Larga ministrabas alimenta Patronus alumnis,
Ut possent studiis ritè vacare bonis.
Rara hæc! ah rara est pietas, tam candida virtus,
Quæ manet in memori pectore fixa Bonis,
Es dignus lachrymis, Gentis Clarissima Lampas,
Non dignus Parcæ at falce perire truci.
Sed quia Parca bonos æquè, & virtutibus auctos
Enecat, & lachrymis cedere nulla solet.
Plura quætar quare? defuncto prodero nullus:
Non valet in vitam quem revocare dolor.
Nam factum infectum fieri nequit! Ergo PATRONE
Vita tenax Christus sit tibi, morsque lucrum.

M. CRATO HRANICENUS
MORAVUS.

B 2

Vive

relob O

Vive memor mortis, quàm non sperabitur hora,
 Quò libet, injectà nos rapit illa manu.
 Mox rapit invictos reges victricibus armis;
 Mox rapit Heroes, semideos proceres:
 Mox rapit, & mundi maculas animasq; malignas:
 Mox rapit aurato CORCULA facta luto:
 Mox rapit illa homines, ponunt qui in fœnore nummos:
 Mox rapit afflictis pertenues opibus:
 Mox rapit egregio vernantem flore juventam;
 Mox rapit in curvos falce secans senes:
 Mox rapit abjectas, humiles, animasq; minutas:
 Mox rapit & fastu grandiloquo tumidos:
 Vive memor mortis; quàm non sperabitur hora,
 Injectà cunctos mox rapit illa manu.

SMILUS WLINSKI à WLI-
 novves eques Bohemus.

Quid Procerum turmæ? quid vult concursus ad Urbis
 Limina? quis planctus sydera celsa ferit?
 Occidit, (heu miserum) truculenti fulmine Lethi
 Ictus Atlas, veræ qui pietatis erat.
 Occidit Urbis apex, alto de culmine vulsus:
 Occidit heu Patriæ, vera corona suæ.
 Arbor, quæ verum tenuit cognomen & omen,
 Arboris, (ò lacrymæ) morte recisa jacet.
 Tegmine sub cuius carpebant fessa quietem,
 Corpora, concusso stipite, fronde carent.
 Heu Fautor noster, quò quò tibi cura Lycæi
 Cessit? cur famulos deseris, alme, tuos?
 Tu cæcis oculus, senibus tu sæpè bacillus
 Tu viduis Pastor, pignoribusque Parens.

O dolor

O dolor, ò nex tetra, virum quàm tollis honorum,
 Hunc nè tibi dira falce necare licet?
 Tu Deus affer opem timidis & suscipe cœlo
 Hunc, tua qui coluit iussa verenda, virum,
 Hunc tua, nam clemens rapuit, Deus, ipsa voluntas:
 Tristitia nè posset cernere fata, solo.
 Nuper flammivomus quæ fixit in orbe Cometa
 Et rosei monstrant, signa tremenda, Poli.
 Accitum refove, sedes ubi fata quietas
 Ostendunt: Vitæ ut sancta brabea ferat.

MARTINUS Kausch
 Leuco Hungarus.

EIDYLLION.

Fortè subagresti meditans modulamine metrum;
 Fatales hominum rimans indagine metas:
 Sub patulis Belli-Querceti frondibus, alma
 Quò Cynthi gaudent Charitumq; virescere tempe:
 Poscebam calamos Phœbum divasq; sorores:
 Undique sed silvis latebrosa silentia cerno.
 Hæce diu tacitus mecum dum corde voluto,
 Percussum pavida trepidat formidine pectus.
 Mox Phœbus talos à vertice pullus ad imos,
 Prodit & ardenti sermone silentia rumpit.
 Maturate viam celeres concurrite Musæ!
 Hæc est dira dies, inter signanda ne fastos,
 Quà dejecta fuit palmaris adorea Quercus.
 Hæc Pallas lugenda Tibi, Charisinq; sacratis,
 Et cunctis nomen qui nostrum & Numen honorant.
 Indue feralem Philomuse ò indue vestem!
 Este procul Veneres; veniant suspiria. Nostra

Delicia

Delicia cecidere, citæ concurrite Musa!
Publicus incessat dolor! (ô dolor) alta salutis
Puppis, prora mea, prærupto gurgite mersa est.
Publicus incessat dolor! est gaudere nefandum.
Belli-Quercetani grande decus Musarum,
Grande decus silva rutilans Charitumq; corona,
Nostræ honoris apex cecidit: concurrite Musa!
Atria funestâ nostrum est, umbrare cupressu,
Et velare nigro templi laquearia panno:
Pullatis pariter pallis lugere penates:
Nobilior Quercus mortis succisa bipenni
Phœbeos gratâ rescit non ampliùs umbrâ.
Quippe rapace manu Parca est avulsa corona
Verticibus nostris? properè concurrite Musa,
Auratis reliquum filis connectite florem:
Relictam stirpem sartam defendite cœli am.
Opede præpropere tandem concurrite Musa!
Est celerare piùm: celeres conturritis Musa.
Dixerat: absq; mora concurrunt agmine multo
Thespiades stentes, oculisq; rubentibus adstant:
Oblita decoris; mœrentia pectora tundunt;
Impliciteos taxo vellentes fronte capillos.
Collutulant sædo cinerum lacamine vitium,
Et mœstus implent ululatus undiq; lacum.
Præ nimis (brèditer) resonat clamoribus at heros
Audiit alticonans: Musas affarier infis;
Errantes motus rabidos compefcite fluctus:
Carnifices cordis depascunt viscera luctus.
Arboræ præ reliqua mihi sacratissima Quercus.
Manducolis utenda datur: sed mancipo nulli,
Sicq; mihi visum: cur indignere Deaster?
Sarcinus est vobis reliquus: qui certa salutis
Anchora sit vestra, tutela, potentia, turris.

Hic

Hic fortes late ramos & brachia tendet,
Excrescet viridis longum cœu Libana cedrus:
Proferes & vobis fragrantem in sacula florem:
Nectar & ambrosiam præbebit divite cornu.
Hunc Ego præcunctis primo dignabor honore,
Supra aliasq; dabo silvæ moderamina Quercus,
Æternumq; Meum solita bonitate beabo.
Ite mei: vos ille Meus non deseret, ite:
Ite mea vobis meus auxiliabitur: ite:
Ite, decus vobis mansurum conferet; ite:
Ite, Meus dictos sibi robore proteget: ite.
His dictis revocant animos mœstumq; dolorem
Abjiciunt, stirpemq; piè venerantur honoram.
Quod cupiunt capiunt ab ea cœu fonte perenni:
At animans velut ad tutum fugit omnis asylum.

JOHANNES FRANZIUS Siles.

ERgone succumbis columen, spes, gloria; morti
Siccin' abis Patriæ spes, decus, aura tuæ?
Num te tanta capit subeundi fata voluptas,
tædeat ut Patriis Imperitare focis?
Quo fugis? Heu dubio cur nos sub Marte relinquis?
Non secus ac rapidis Nauta recedit aquis.
Ah ne aliis gratâ liquisti lumina vitæ?
Neu Patriæ aspiceres funera acerba tuæ.
Jamque optabamus tibi longos Nestoris annos;
Sæva sed extremum fata tulere diem:
Nilque aliud superest præter monumenta dolorum,
Oraque jam lachrimis commaculata piis.
Plangite Teutonides: nam vobis dempta salutis
Dextera, quæ miseris sæpe ferebat opem;
Vos quoque Czechiades mœstos effundite fletus:
Nam vobis largam sæpe ferebat opem.

Et

Et quem sub bella iussit requiescere quercu
Jam moestis lachrimis ora, Polone, riga.
Tuque sub Arctōo (quem haud reppulit) ora, Britanno,
Humecta Lachrimis fonte perennis aquæ.
Denique Laurigeræ cunctæ lugete Camœnæ:
Nam subitò vestri provida cura perit.
O Lachesis, Lachesis! tam sacrum tangere corpus
Ausu atque extremo rumpere fila die.
Nullane te potuit pietas tardare, nec ulli
Contemnenda virum lucida Canicies?
Nullane te potuit clementia flectere? egenis
Et data munificâ munera sæpe manu?
Sed cur Lanificas mordaci lædimus ore?
Quin potius grates solvimus ore pias,
Quòd rector celsi, hinc evexerit altus Olympi,
Et dederit placidâ in seclâ quiete frui,
Quòdque ex annosa quercu sit furculus ortus
Qui possit patrii frena tenere soli.
Oramus venerande pater, qui sidera torques,
Ut sint Schönaicho tempora longa tuo.

PATRICIUS PIBIÆUS SCOTO Britannus.

ERgo ubi florescant docti pomœria ludi,
Languidulæ claudas animæ spiracula digno
Patrono Euboici transcendere pulveris annos,
Parca? quasi populante metas sublimia falce
Cuncta? nefasne virum in generoso adoririer ausu?
Qui verè solus doctos reverenter habebat;
Quo nemo in pubem prolixior alter egenam;

Mortis

Mortis iter carpat referati ad claustra sepulcri?
Dulcia dum positis meditemur gaudia curis;
Debuit heu! subito squalere Bethania luctu,
Materiemque sui miserè deperdere gaudi.
Quàm lubrico dubiæ Sortis rota volvitur æstu!
Mox inimica rapit dextrâ quòdcunque benignâ
Est largita: noverca bonis: nutricula pravis.
Sudificus Boreas proceras quassat & altas
Pinos: sic pariter proceres fors verberat altos.
Nemo adeò floret; qui non marcescere possit:
Si creperæ sortis torrentes sentiat æstus.
Aureus exemplo nobis SCHÖNAICHIUS Heros:
Sortis & indomitæ Mortis juga dura subivit.
O vis! ô rigidi quàm adamantina sanctio fati!
Ut ferale ejus nequeant evadere naulum;
Illustres proceres prognati sanguine Divûm.
Cynthi conde nigrâ faciem ferrugine: nigro
Cynthia conde soporiferum velamine vultum.
Largos Siles lacrymarum fundite rivos:
Funde Bethanæi omnis & incola & accola fletus.
Et calor Aonio quos ustulat Entheus œstro;
Ducite cordifraga ingenti suspiria tractu:
Syrmate tum palli, moestâ tum mente dolorem

C

Perpe-

Perpetuate: dolorificos hei! stringite morsus.
Condecet undantis pietatem ex vulnere cordis
Promere nunc lacrymas & singultantia verba.
Censuit in gremio sortis se Roma foveri;
Lacrymulam Augusti tumulo si infunderet unam.
Quò magis Augusti nostri conspergimus urnam,
Et sanctos cineres lacrymarum rore rigamus?
Septenos soles truculentâ morte peremtum
Saulem, gens Jacobæa fuit prosecuta dolore:
Æquiùs infandi patimur nos tormina luctus.
Inscia Philœnus pluvix qui pastinat arva;
Rege suo fati functo, caput inquinat: omne
Denudat pectus: singultibus ilia vellit.
Cur ruptis pudeat nos exululare capillis?
Im mitis siquidem degustat pocula Lethes;
Non Eurco; /ythum qui percolare paratus:
Sed Sophies, sed & Eunomies venerabile pectus:
Sed patriæ lumen, columen: sed nobile germen
Naturæ. Breviter: monstrum sine crimine labis.
Indignum verò est, cunctis imitabile morum.
Exemplar mundi statione excedere: vesci
Aurâ vitali ventres ad pocula natos.
Indignum est gelidum Libitinæ limen adire

Astræ

Astræ cor, os Suadæ, mentemque Minervæ:
Amentes mentes crudæ complere senectæ
Fila. Virum famæ precio super Æthera notum,
Indignum est; rigido Fatorum jure teneri:
Vivere liberiùs; quibus est semiuncia mentis.
Sed quò Musa vago luctus impelleris æstu?
Erige sollicitam sursum ad cœlestia mentem.
Cum petit alta perit fumus: sic nubila luctus
Diffugiunt quoq; mente repente petente superna.
Lex Tibi sit suprema, Dei patefacta voluntas.
Ipse Dei Gnatus mortem cum sanguine fudit:
Nos ejus fervi meliori sorte fruemur?
Sceptra tēnet Letum toti communia mundo:
Nil homo proprietatis habet; fatū manet omnes.
Annosi canis albentia tempora habentes;
Tandem deponant invitæ tædia vitæ.
Flavescentes Juvenes primâ lanugine malas;
Sæpius inviti fati fungantur acerbis.
Nemo adeo vegetus; qui non flaccessere possit,
Si rigidis rigidam Mortem experiatur in armis.
Hanc *bellam quercum* Dominus dedit; abstulit idem.
Cur fremimus? dextram verè præstantibus ausis
Invictam; quæ fatorum legesque vicesque

C 2

Fingit,

Fingit, diffingit, trepidi veneremur honore.
Sed simul unanimos decet ablegare dolores.
Officit & Genio Nimum Geniūque Satori
Displicet. In cunctis modus est pulcherrima Virtus.

Sperat homo, dum spirat humo mala; qua bona sperat.
Sunt bona cara quidem terrea; raro bona.
O homo! speras mala, nam mala talia speres;
Qua bona sunt. Age, Mors qua bona, nonne mala est?
Exemplo patet. At mortem per rarus anhelat?
Scilicet ignoti nulla cupido boni.

faciebat
MATTHIAS SALTZIEDERUS
Platoviâ-Pomeranus.

TRina ferunt quondam structa esse altaria Phœbo,
Antiqua eximium tum pietatis opus.
Donaque quum Authores peterent pro talibus ausis,
Optima censeret quæ Deus esse sibi:
Unâ nocte omnes Fati occubere tumultu,
Spem præter facti præda cupita necis.
Hinc quoniam, BARO Magne, simul Fato occidis isto,
Te dotes amplas obtinuisse, puto.
Et bene! nam vita est variis subjecta periculis;
Queis finem Mortis meta beata facit.
Addo quod & cælo tales sine fine fruuntur.
Æthereo cantu concelebrantque Deum.
Non oculus vidit non audiit auris id ulla,
Post mortem electos gaudia quanta manent!

WENCESLAUS SOPHRON
MORAVUS.

QUIA

Quæ Te, SCHÖNAICHI BARO, fors invida terris
eripit? heu fati qua rapit asperitas?
Inclytæ quem Virtus, Pietasq;, Equumq;, sacratum
sublimem campos vexit ad Elysæos:
condignis cujus famam Gens Subitæ factis;
Extera sed verbis amplificare studeo
quem sibi Parnassus, sibi quem divinus Apollo
Tutorem fidum legerat atque Patrem:
hunc, (dolor!) in visis Virtutibus atque Camænis,
ausa est carnis vorâ perdere Mortis Manu!
Immotus fati arcanum inservit abile!
heu nequeo, Rumpit lacrymâ vobis Ver.

GODOFREDUS SCHNEEVVEIS.
Gorlicio-Lufatus.

In Obitum Illustris Mœcenatis.
Iustitiâ, pietate gravis meritisque JOSIAS,
Clauderet extremo dum sua fata die:
Gens Jacobæa stetit vehementi fixa dolore;
Quin vates luctus tristia signa dedit.
Jure dedit: quoniam Regum præstantior alter
Non fuit hoc; major nec pietate fuit.
Sustulit hic idola supremo in visa Tonanti,
Sanctaq; composuit fœdera cum Domino:
Servavitque animo illius decreta fideli,
Quorum dictus erat legifer ipse Moses.
At quid jam? nobis quoq; (proh! miserabile dictu!)
Josias acri morte peremptus abest:
Ille pius Schönaichus abest, succisa securi
Heu! capitis nostris Querna Corona jacet.
Nunc igitur gemat à diris Ecclesia monstris
Pressa diu, fulcro dum caret ipsa suo.

C 3

Inter

Inter Magnates Jovæ observantior alter,
Clarior in mundo nec pietate fuit.
Hic populum sincerâ religione beavit
A solo pendens speque fideque Deo.
Ante alios verò nos indulgere dolori
Condecet, Aönio qui invigilamus agro:
Carmina sunt pangenda, neget quis carmina tanto
Heroi, quem mors falce necavit atrox.
Hujus enim curâ nostræ viguere Camœna,
Atque voluptatem sensit Apollo suam.
Denique profundat miseris è corde querelas
Patria. Nam Patrem perdidit orba suum.
Onos afflictos! Te terque quaterque beatum!
Qui cœli astriferi regna beata subis.
Sicut enim exemit vitæi meta JOSIAM,
Ne circumstarent mille pericla Virum:
Instantes sic ne pœnas, Patrone, videres
Orbi, præripuit te quoque morte Deus.

Gratitud. ergò f.
ANDREAS WEGIERSCIUS Osirorogã
Polonus.

Non est injustum Patroni funera nostri
Deslere atratis vestibus ac numeris.
Civibus ille fuit fulcrum, cynosura scholarum,
Asseruit vera religionis opus.
Proh! nunc Lethæa gustavit spicula mortis
Viveret ut sanctis angelicisq; choris.

Lugens f.
MARTINUS LIEBIGIUS
Sprottav. Silef. S. S. Theol. Studiosus.
Hic

Hic Schönaiche jacent tua membra sepulta Georgi:
Nobile Bethániæ qui decus urbis eras.
Qui fueras claro majorum sanguine cretus,
Ingenio magnus, consilioque potens.
Te memori celebrat famâ Beuthana Patronum,
Et gaudet factis tempus in omne tuis.
Vix hominum quisquam fuit observantior æqui:
Nemo magis miseris attulit auxiliùm.
Aöniis Musis magnâ pietate favebas,
Doctorum summus semper amicus eras.
Gymnasium propriis struxisti sumptibus Autor:
Æternâ dignam posteritate domum.
Denique non fictâ Christum pietate colebas,
Hujus in auxilio spes tua tota fuit.
Sollicitis precibus quare te Christe rogamus;
Schönaichi manes ut tueare pios:
Defunctique animæ tribuas cœlestia regna;
In queis perpetuo gaudia flore vigent.

CHRISTOPHORUS HOFMANNUS
Lesnensis Polonus.

Ad Parcam.

Fila per intortos trepida que tendia vite
Orbes devolvit, fati sat conscia Parca.
Parca catenati fati succincta ministra,
In pectus potius bacchère cruenta nocentis:
Pro libitu id ferias, tundas ultricibus armis.
At verò in nostrum genus hoc illustre Deorum;
Quis pepigit tecum? Tibi quidnam juris in illud,
En decus eximium terra, irreparabile Musis

*Hic jacet: extinctum dolet hoc Bythomicus omnis
Incola: doctissime, blandissima numina, Muse,
qua bella recubant nostra sub tegmine quercus,
Nunc immane gemunt querula, lacrymantur, & ipsus
Pro cantu tristis fovet alta silentia Phœbus.
O luctum & lacrimas! ô ferrea secula nostra:
Viribus enjunctis Mars Mors furialibus ausis
Bacchantur; sed relictis discrimine nullo,
Ne liceat deinceps ulli, cum vivere vitam
Vivere sit minimè: sed fata maligna subire;
Indugredi mundi vel primas labilis oras,
vitalesque haurire agris vagitibus auras.*

JOANNES FRANCUS.

Herois laudes ô perge Bethania tristis
Cantare eximias, dum pia fata sinunt.
Si pietas, probitas, Virtutum gratia, si qua
Vera fides atram pelleret Orbe necem.
Heros vixisset noster, vel Nestoris annos
Annosi; sed eum mors subito arripuit.
Non sua; sed verè spectabat commoda Christi,
Quæ pia posteritas, (si qua futura) canet.
Non sua, sed miseræ curabat commoda plebis,
Servabat justâ dexteritate pios.
Ergo nec immeritò surreptum Ecclesia luges
Undique cum gliscat luctus, ubiq; pavor.
Suffice jam querulæ carmen miserabile voci;
In luctus iterum solve Musa novos.
Scinde romas, & sis miserando in funere mœsta,
Abjice jam letæ plectra sonara lyræ
Exue jam vestes precioso murice tinctas
Temporis hic habitum pro ratione cape.

Dicite

Dicite Parcarum favissima Numina: Namque
Vos contra solas nostra querela sonat:
Cur pariter justos, habito discrimine nullo
Atque malos mortis cogitis ire vias?
Immò mali peragunt longævus Nestoris annos
Lautitiâ pleni, lætitiâque merâ.
Qui sunt exitio, qui turbis omnia miscent,
His triplices gaudent ducere fila Deæ.
Qui verò satagunt laudatam ducere vitam,
His triplices properant rumpere fila Deæ.
Ecquis jam poterit vitam sperare diurnam,
Hic quoniam rapidas non tenuere manus,
Attamen haud obiit; cœlesti vivit in Aula
Perpetuoque Dei colloquio fruitur;
Quem coluit vitæ Dominum fontemq; Salutis
Illius meritò Regna beata tenet.

EBERHARDUS LOKERUS,
Colbergâ-Pomeranus.

Exivit terris nostris SCHÖNAICHIUS Heros;
Annos qui Pylis vivere dignus erat.
Sed cum aliter Jovæ visum, qui præsidet astris,
Quid planctu immodico corda ferire juvat?
Sicut enim pietas est deplorare jacentem;
sic etiam lacrymis est adhibere modum.

SIGISMUNDUS LIEBIGIUS
Sprottâ Silesius S. S. Theologiæ
Studiofus.

D

Hoc

HOC Tralatitium est: Nulli mors parcat honori:
Ima cadunt veluti: sic quoq; summa ruunt.
Regia ruricolū mors sceptrā ligonibus æquat,
Pauperis & pulsat divitis atque fores.
Omnes infœlix, & inevitabile telum,
Tros, Tyriusve fuat, mortis ad ima rapit.
Exemplo esse potes Bellæ de stemmate Quercūs
Aurea frons, tetigit sidera cujus apex,
Illustre Elysiis, Schönaichl, sidus in oris,
Fideque Romulei Consiliator Heri.
Tu virtutis eras speculum, pietatis amussis,
Veraque justiciæ regula, schema Dicēs.
Templi & prora, & puppis eras, ac anchora tuta,
Gymnasiique Autor, fautor, & altor eras,
Sinceræ assertor fidei, vindexque malarum
Hæresium, veræ religionis apex.
Ergò ferali circumvestita cupresso
Templum, & Gymnasium, Præsides cassa
gemunt.
Non homo, sed caudex, & tigridis ubere pastus,
Puniceaque magis caute rigere potest,
Quem non Illustris percellant fata Patroni,
Et qui jam totus non eat in lacrymas.

Saxea

Saxea Bethania es, vel saxo durior omni,
In lacrymis nî te vertat hic ipse dolor.
Verùm nîl agitur lacrymis; explēsse dolorem
Est satis; ac potius gratia habenda Deo,
Qui te, Sancte Senex, postremo in pulvere luctæ,
Majores casus volvere non voluit;
Vexit in astriferi sed templa micantia mundi,
Est ubi pura quies nube sine, ac tenebris;
Qui successorem dignum largitus & ipse,
Virtutes Patruī qui exprimit, atque refert.
Hunc, Pater Omnipotens, nobis servato Patronū,
Nec non omnigenā prosperitate bea.
At tu Schönaichl Illustris salveque, valeque,
Qui nunc es Christi frater ovasque Dei.

SIGISMUNDUS ROSÆUS
Illustris Schönaichlani
Alumnus.

*Intubrenis queritur Vates; lacrymemur in illis
Cumque illo: (dolor heu!) Facti sumus absq; parente
Pupilli, matres viduata, gaudia cordis
Defecere, chorus quid noster? imago doloris
Hac summa est, capitis cecidit columenq; corona.
Heu mecum Cirves lugubria dicite verba:
Te sumus orbat i noster placidissime Tutor
Te viduata scholæ est, (ab fata, ab aspera fata!)
Infandum, quando Φιλοσοφῆς pectoris astu*

D 2

Commoda

*Commoda nostra, decus, nutriveris atque bearis!
At mors in cunctos mittit sua tela, quod ille:
Optima quæ, ferè manibus rapiuntur avaris.
Ponite tristitiam; Patrono parca corona est
Non peritura ullo, nec marcescibilis ævo.*

HENRICUS CRUSIUS
Gymnasii alumnus.

Lugete Odriades Musæ, lugete Patronum:
Planctibus & querulis cõtundite pectora vestra.
Nã mors surripuit (dolor! ò dolor!) invida nostris,
Mors infesta bonis, columen memorabile nostræ
Heu! patriæ; probrior quò vix venientibus annis
Alter erit, quo vix (mihi credite) justior alter.
Antiquæ assertor fidei fuit, atque malarum
Vindex hæresium. O igitur crudelia fata!
Cur sine respectu, cur lumina tanta necatis?
Sed quid ago? guttisq; humecto grandibus ora?
Vivit Schönaichus (quanta hæc sunt munera Di-
vum!)

In cœlis, vivit, sperataque gaudia carpit.

SAMUEL VECHNERUS
Sprottav-Siles.

*Quò me Musarapis? qua funera tanta videre,
Quos planctus audire jubes? Heliconis alumni
En adsunt variis complentes planctibus auras.
Occidit heu Patria Pater, ille Schönaichius Heros,*

Sub

*Sub quo sancta fides, Astraq; paxq; virescit.
Heu Beuthanensis perit lux prima Lycai,
Occidit heu capitis nostri diadema, salusq;
Occidit ætatis nostra Pater, heu dolor, alter.
Teutonum hisce Deum juxta supremus in oris
Exitit haud ullus, Musis nec gratior ullus.
Gratus principibus, satis ereptus & idem,
Principis ut Christi nitida regnaret in aula.
Ac Patrem Patriæ licet invida Parca Patronum
Surripuit, dolor heu, nobis in limine vita,
Mæstitiam nobis, superis nova gaudia linquit;
Nec tamen ulla subit meritorum oblivio mente,
Donec lux luci, nocti non Luna relucet.*

MARCUS BECCERUS
Sprottav. Siles.

Ecquænam tandem passorum meta malorum?
Aut quisnam modus? aut quis sat deslere ruinam
Tantum poterit, qui jam cecidere, virorum?
Non Heracliti lachrymarum flumina missa
Æquarent cladem, quam tristia fata dedere.
Ut reliquos mittam, longum quos ordine longo
Perconsere foret. Testis SCHÖNAICHIUS Heros
(EHEU!) sufficiens. Qui solvens debita fato,
Mortuus ecce jacet. Resonant hunc omnia planctu.
Hunc misero questu deplanget Cæsaris aula.
Silesiæ patriæ lugent suavissima tecta.
Ingemit Aönidum ter trinaque turba sororum.
Mœnia quin imò nostri mœrere videntur
Gymnasii. Largos fletus Ecclesia Christi
Insuper effundit, tanto viduata Patrono.
Flet dives, flet inops: juvenisque senexque: flet omnis,

Chara

Chara cui pietas, jus charum & amabile rectum.
O Parcæ, minimè parcæ, cur parcere tanto
Ignaræ heroi: cujus super æthera virtus
Jam dudum scandit, sedem sortita supremam.
Scilicet hæc meta est, ad quam properamus, in orbem.
Ingredivimur quotquot, semel egrediamur ut omnes.
Ast Te felicem, Te terque quaterque beatum.
Cui sinceræ quies datur, & promissa piorum
Incolere arva poli, faciemque videre Jehovæ.

O Deus, immensi possessor & arbiter orbis,
Omnia qui nutu, residens super astra, gubernas.
Tu SCHÖNAICHIA DEN, Pater alme, tuere Johannem:
In quo jam solo domus inclinata recumbit
Omnis. Tu sacro bellam munimine quercum
Defensa, posthac ejus sub tegmine tecti
Vitam ut ducamus placidam, vitamque serenam.

Lubens, lugens
apponebat

JOHANNES HAYN Sprottæ-
Silesius illustris Gymnasii Alumnus.

O Lachrymosa dies! crepidusq; ô maximus horror
Cuncta dolent merito tantum emigrasse Dynastam
Plangit & ipse orbis, luget sol, lunaq; stelle,
Tristia lugubri jam Musæ carmina voce
Fundunt. Tristatur pietas gemitusq; frequentat,
Tristantur cives, luget studiosa caterva.
Qui sic? præ lachrymis (heu heu) vix dicere possum
Colla secanda dedit LACHESISCHÖNAICHIIUS Heros.
Plangite nunc Musæ, sacras qui mente Camænas

Sincerâ

Sincerâ coluit, juvit, plantavit & artes
Quas Deus astripotens pietas quas ipsa requirit,
Emisit Flatum, nobis suspiria liquit.
At cessate queri, lachrymas jam sistite Musæ,
Nemo hunc à Letho poterit revocare querelis.
Ab patrone vale licet baud mihi dicere plura.

MELCHIOR STEINBERGERUS.



M. G. STEINBACH



IN MEMORIA ÆTERNA
ERIT JUSTUS.

Magnifici & Generosi Domini

IOAN-GEORGII
à SCHÖNAICH,

Domini in *Amptib/ Stargardt/*
Großbesitz etc.

Sac. Cæs. Maj. Consiliarii & Districtus Gubenensis
Directoris digniss. beatè demortui,

MEMORIÆ ET HONORI SUPR.

ARE EXSEQUIALES,

debitæ gratitudinis & sinceri
affectûs ergò

erga illustre SCHÖNAICHIANUM
Nomen, Honorem & Gloriam,
positæ

ab illustris Gymnasii & Pædagogii
SCHÖNAICHIANI

nonnullis Professorib. & Præceptorib.

T Y P I S

JOHANNIS DÖRFFERI,
Calcographi Schönaichiani.